

principum imperii uestri nobis demandastis, pro qua sola salute uobis mille salutes remandauimus, et quia uos diligimus, et honori uestro bene cupimus, pro mutua dilectione, qua indissolubiler uobis astricti tenemur, omnes barones et regni nostri optimates uos et uestros diligunt. Inter cetera scire debetis, quia quidam ienuenses, qui predictum Albricum legatum uestrum comitabantur, non legatum uestrum sed cancellarium uestrum ipsum afferebant multa mala de uobis predicantes. (An profferbant legendum accusabant? An Cancellarii ἐπίσκοπος putati infidum, corruptum &c. omisum? An scribendum erat praedicantem?) Quare in dubitationem uersi propositum nostrum et legati uoluntatem adimplere distulimus. Veruntamen ob hoc nullatenus praetermittere uoluimus, quin huius rei ueritatem inuestigare uellem, inde quoque fidelem nostrum sapientem quidem et multitudine legum butair (Ebu Taher?) esmair (Ismail?) imbutum ad uos transmitterem, quem deus conducat. Rogamus ergo benignitatem uestram, ut eum, sicut decet excellentiam uestram, honoretis scientes, quia, qui honorat legatum, honorat et dominum. Ceterum, si placuerit uobis cum predicto legato uestrum legatum cum litteris uestris nobis transmittere, nos tocus negotii seriem, statim ut ueritatem et certitudinem inde cognouerimus, iuxta honorem uestrum et uoluntatem uestram ad effectum perducemus, et, sicut superius diximus, corda nostra sem-

per coniuncta erunt, quamuis longa terrarum spacia corpora nostra separata habeant. Data babilonig medio mense Aprili. Integram exhibui; nuspiam enim haecenus ejus mihi mentio oblata est. Anterior fit oportet anno 1188. nam ad h. a. Goldastus T. III. Constit. Imperial. p. 362. Mandatum Diffidatorium Friderici I. ad Saladinum refert alia jam spirans. Ejus tamen ingressus: *Devotionis tuae litteras multis retro temporibus ad nos destinatas — suscepimus &c.* fortassis ad praesentem Epistolam adludit, quae vix inter fictitias, quarum Maimburgius in *Hist. des Croisad.* meminit, ceteri possit.

CCXXII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 2292
XIV. Folior. 188. f. maj. per duas columnas elegantissime scriptus, frontibus Librorum, litterisque initiorum venuste deauratus et picturatus, quondam *monasterij Sancte Dorothee Canonico. regularium wienne*, inscribitur I. *Incipit expositio Ricardi. Super Apocalipsim. Et sequitur. Richardus hic est S. Victoris Paris. Canonicus reg. gente Scotus, Ascetes insignis* ✠ a. 1173. Prologus prior hujus expositionis inquit: *Accipe itaque frater karissime hoc sententiarum munus &c.* Alter: *Beatus iohannes celestium misteriorum theologus &c.* ipsa Expositio in VII. Libros et capita diuisa: *Deus immensus et eternus &c.* Extat impressa cum reliquis Viri Scriptis Colon.

Colon. 1621. 4. P. II. p. 300. Quo- modo vero e nostro Exemplo per-

Codex

Deus immensus et aeternus, qui loco non capitur, nec tempore mutatur, qui immensa bonitate sua et aeterna cuncta potenter condidit, ipse eadem bonitate sua &c.

II. fol. III. Ricardus de contemplacione, ejusque commendatione. Duos de Contemplatione Tractatus edidit Noster, quos Posterius nomine Benjamin minoris et majoris distinxerunt. Et priorem quidem recte Benjamin adpellarunt, quoniam in hujus Adolescentuli allegoria totus est; alterum vero nescio qua ratione; nam in folius Arcae Foederis mystica expositione infumitur, ut vel ipsum docet Exordium: *Mysticam illam moysi archam libet si liceat — referare &c.* Hinc a Codice nostro abest ó Benjamin, et margo superior tantum inscribitur: *De majori contemplatione*, neque aliud Rubrica calcis. Interim Libris V. absoluitur in Capita tributis, ut Edit. *supracit.* P. I. p. 227. quacum etiam lectio melius conspirat. In Litera principe depictus est Ricardus precans pallio nigro vestis albae talari injecto, caput pileolo caeruleo tectus, qui habitus Canonorum reg. ejus aevi fuerit. Tractatus Benjamin alio Codice habetur, ut Index docet, quemadmodum et aliud Exemplar nostri.

fici posset, vel adscripta hic initii collatio docet:

Editio.

Deus immensus et aeternus, qui loco non capitur, nec tempore mutatur, qui immensa deitate sua et aeterna cunctipotenter condidit, ipse idem bonitate sua &c.

CCXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1999 XIV. Folior. 156. f. per duas columnas luculente scriptus, coloribus illustratus, et prius, ut non uno in margine notatum est, *Fratrum Carthusiensium iuxta pragam extra muros sequentia continet: I. Expositionem, seu Notas potius in Apocalypsin ἀποκαλύψεις, quarum initium: Reuelacio ad remouendum uelamen litere. Ps. Reuela oculos meos. Remocionem figure Dan. V. Vere deus noster. amocionem uelaminis ignorancie. Cor. XI. Nos autem reuelata facie. Johannes in quo effulsit gratia conuersationis angelice. perfectionis apostolice. predicationis ewangelice. contemplationis anagogice &c.* Ita stringendo proceditur per Capita XXIII. usque ad hunc finem: *scripturam autem legam tibi rex et interpretationem eius ostendam tibi. Additur: et completus est liber, et Index alphabeticus Vocum memorabilium, quae etiam per decursum in marginibus notatae sunt. In cassum in Autorem indagavi; nec mirum inter tot, quos Apocalypsis exercuit.*